T. P. V. S.
DE INDEPENDENTI, AB EOQ. PENDENTIBVS DIALOGVS,

quo Peripateticis de rebus problemata oppugnāda

A VINCENTIO BICHO PATR. SENEN.

Cunctis earum rerum Studioſis proponuntur.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE



SENIS, APVD LVCAM BONETTVM.
MDXCIIII. Superiorum permiſſu.

ILLVSTRISSIMO,
AC REVERENDISSIMO
ASCANIO COLVMNAE,
PRINCIPI, AC SANCTISS.Æ ROM.Æ ECCL.Æ
CARDINALI AMPLISSIMO
VINCENTIVS BICHVS S. P. D.

MEMORIAE proditum eſt (Here Illuſtriſſime, ac Reuerendiſſ.) Socratem philoſophorum parentem adoleſcentibus commendare ſolitum eſſe Speculum, iubereq́, vt quam ſapiſſime inſpicerent, quò ſi pulchri ſibi viderentur, pulchritudini conſulerent, infamiam vitantes; ſin minùs, quod corpori natura negaſſet, virtute redimerent. Eiuſmodi Speculum (ſi modò mihi liceat ſapientiſſimi viri ſenſa promere) qui diaſyrtice ferè

loqueretur) eminentiſsimi cuiuſq; viri vitam eſſe non dubito, ad cuius exemplum ſe iuuenes inſtituere debeant. Itaq; cupienti mihi omnibus virtutibus me pro viribus effingere, ac optimis moribus informatum reddere, eaq; propter multorum virorum illuſtrium vitam, actioneſq; diligentiùs intuenti, attentiuſq; conſideranti, tu planè dignus viſus es, quem omnibus in rebus cum dicendis, & agendis, tum deniq; in omni virtutum genere imitandum proponerem. ad quod præclarum, ac perdifficilè præſtandum cum multa alia me alliciebant, tum cogebat illud Oraculi enygma, quod AEginetis patria pulſis, de quærenda ſede ipſum conſulentibus, pro reſponſo editum fuit SVMMVM CALLE, ET MEDIO POTIERE; quod AEginetæ ſic interpretati ſunt, vt cacumine cuiuſdam montis occupato, circa medium incolerent. Maxima tua, tuaq; clariſsimæ familiæ gloria eſt, Cardinalis Ampliſsime, quam profectò, omni contentione adhibita, ſemper ſequi enitar; & huius meæ voluntatis firmæ, ſtabiliſq; argumentum, & quaſi pignus, has Theſes (qualeſcunq; ſint)

cuiuſq; viri ...
uius exemplum ſe
. Itaq; cupienti
ne pro viribus ef-
s informatum red-
rum virorum illu-
ligentius intuenti,
planè dignus vi-
bus cum dicendis,
mni virtutum ge-
. ad quod pra-
ndum cum multa
ebat illud Oracu-
patria pulſis, de-
tibus pro reſponſo
ET MEDIO POTIERE;
tati ſunt, vt ca-
upato, circa me-
a tua, tuaq; cla-
rdinalis Amplif-
ontentione adhi-
huius meæ vo-
gumentum, &
ualeſcunq; ſint)

vt accipias, meq; inter tuæ virtutis alumnos poſthac enumeres, te etiam atq; etiam obſecro. Vale.

Datum Senis Kalendis Decembris
MDXCIIII.

STVDIOSISSIMIS IVVENIBVS

VINCENTIVS BICHVS *S. P. D.*

STVDIOSISSIMO N. adeo familiariter a teneris (vt Græci aiunt) vnguiculis ſemper vſus ſum, vt quum ipſum intueor, mei ſimulacrũ conſpicere mihi videar. Is, cum, tranſactis annis, me naturali philoſophiæ incumbere velle percepiſſet, etiam & ipſe ab his ſtudijs ſe haud alienum fore conſtituit, ne ob diuerſa ſtudia non tam ſæpe, vt antea vnà συμφιλολογεῖν poſſemus. At ex aduerſis, quæ ſibi inciderunt temporibus, non licuit illi omnes Ariſt. lib. de naturalibus audire ab Illuſtri, ac Excellentiſs. viro D. Fortunio Cinucho, humaniſsimo præceptore meo, nam ob ſui perquam nobilis Patris, & Germanorum obitum, maximis cum domeſticis, tum forenſibus curis detinebatur, idq; grauiter ferens ille, mecum quàm ſæpiſſimè communicabat: quem vt æquo animo ferret ro-

ganti mihi, ſiquidem actiuam vitam magnum ſequitur præmium, quod honor eſt: Reſpondebat ille, maius eſſe præmium vitæ Speculatiuæ, vir enim contemplationi dicatus a DEO, vt ab amico amicus viſitatur, præterea cum hominis propoſitum ſit, non vt homini, ſed vt DEO reddatur ſimilis, id contemplatione feliciùs, quàm actione, aſſequi valet. Non inficiabar hæc omnia, dicebam tamen non contemplatione ſola, ſed ea, quæ iuncta eſt cum actione, nos cum diuinis coniungi, abſtractæ enim mentes primò cognoſcunt bonum, deinde ipſum ſequuntur, aliter fruſtraretur earum cognitio; quare hucuſq; (ei dicebam) contemplatione te perficere ſtuduiſti quærendo verum, nunc autem fertur tibi occaſio, vt actione perficiaris magis operando honeſtè. His itaq; dictis dolorem illi minui, eiq; tam placuit, vt, de quibus rebus ſermonem vnà haberemus his tribus vltimis caniculæ obnoxijs diebus, proponerem. Quamobrem, vt iocundiſſimi amici voluntati morem gererem, de Independenti, ab eoq; Pendentibus ſermonem inſtitui, quem libenter accepit ille, ea tamen lege, vt, quoniam tantùm primis, vt dicitur, labijs, hæc physiologica guſtauerat, liceret ſibi de quibuſdam me percontari magis, vt ea diſceret, quàm definiret. Quo quidem colloquio animum facilè induxi, vt in modum Dialogi has theſes pro-

ponerem vobis cunctis, ipſum N. faciens mecum diſſerentem: quæ verò erunt à me illi reſponſa, hæc tantùm mihi contra eadem oppugnantes tuenda ſtatuo. Itaq; vos omnes ſtudioſiſsimos Iuuenes oratos velim, vt, ſi minus omnes, ſaltem aliquas harum Concluſionum ſumatis, de quibus mecum certetis in AEdibus Excelſorum Dominorum Anno MDXCIIII. Menſe Die & hora vt ex ingenti veſtrorum ingeniorum acie veritas perſpicua, confirmataq; magis apud omnes exiſtat.

Valete.

DIES PRIMA.

De Independenti. Cap. I.

N.

VT video, hac tua inſcriptione de Independenti, ab eoq; pendentibus, omnia, quæ in hoc vniuerſo ſunt, amplecteris, per indepēdens Deum, per dependentia autem reliqua omnia, videl. Intelligentias, Cœlum, Elementa, Mixta, Imperfecta, & Perfecta, Animal, ac demum Hominem.

V. *Sic independens eſt Deus, qui vnicus, & ſummè bonus ſumméq; perfectus eſt; Dependentia autem ſunt omnia a te dicta, Quæ ipſum ſummè bonum, ſumméq; perfectū ſemper appetunt, ſemper quærunt, ac de ſui perfectione ſunt ſollicita.*

N. *Hoc independens vnicum eſſe, & Magnus Alexander faſſus eſt, quum in mundo, nec duos Soles, nec duos Monarchas, nec duos Deos eſſe poſſe aſſerebat. De quo independenti pauca quæsò, ac timidè dicamus, quod etiam iubet Cicero in lib. de natura Deorum, dum*

ait, impiam eſſe hominum conſuetudinem de Dijs diſputare.

V. *Jmò, vti Deum maximè colere, & venerari, ita pro facultate ipſum cognoſcere tenemur:*

Cultus enim præſupponit cognitionem,
Ex qua tũ ſequitur amor, deſideriũ, et adeptio.
Et licet tãtum Deus Deũ cumulatè cognoſcat;
Expedit tamen nobis per opera eius nobis oblata aliquantulum cum Peripatetico in eius cõtemplatione commorari, ex qua facillime colligemus, quantum nos Chriſticolæ Deo benedicto debeamus, & præcipuè inter alia, quia de ipſo veritatem ſummam abſcondit a ſapientibus, & prudentibus mundi, & reuelauit eam paruulis, a quibus poſtmodum tradita, ac eorundem sãguine proprio cõfirmata nobis fuit.

N. *Jn hoc & ſapientes, & paruuli iſti de Deo videntur cõuenire, videlicet quòd ipſe ſit. Cicero enim lib. de natura Deorum ait, nullam gentem fuiſſe vnquam tam impiam, ac barbaram, quæ Deum aliquem non poſuerit, & alibi, quòd Cælum omnes Deorum ſedem eſſe dixerunt.*

V. *Tantùm inſipiens dixit in corde ſuo, non eſt Deus,*
Quem Deum dico eſſe in cœlo, & non alibi,
Vbiq;, & nullibi,
Omniáq; in ipſo eſſe,
Et ab omnibus eum eſſe abiunctum.

N. *Hæc aduerſantur opinioni Alexandri Epicurei, qui (vt refert Alb. in pri. phyſ. lib. trac. 3.) omnia Deum eſſe, & rerum formas eſſe accidens, ac Peplum Dei dicebat.*

V. *Hanc ſententiã, quam Alb. Alexandro Epicureo tribuit, D. Thomas cuidam hæretico nuncupato Dauid de Pirato aſcribit, Nec ſolus fuit vir iſte, qui cenſeret, Deũ eſſe corpus: Id enim ſenſit etiam Cyrenaica, Epicurea, & Stoica ſecta.*
Peripateticus autem (quem ſolùm defendere hic profiteor) Deum ſubſtantiam ſimplicem eſſe, & nullius corporis detineri vmbra, & nullis paſſionibus eſſe obnoxium cognouit.
Quod idem Anaxagoras diſcipulus Anaximenis, ante ipſum Ariſtotelem, ſenſit.

N. *Hanc ſententiam hilaris etiam Epicuea, & Stoica ſecta recipere potuiſſent ab ipſo*

Anaxagora præceptore Archelai illius, à quo (vt fertur) philoſophia Athenas tranſlata fuit; quia multò tempore poſt ipſum hæ ſectæ fuerunt.

V. *Hoc mirum haud eſt, malunt enim quidam homines opinionum inuentores, quàm ſectatores cenſeri.*

N. *Quærunt huiuſmodi homines æternam famam ſibi comparare non ſecus ac Heroſtratus ille, qui, vt poſteris memoriam ſui relinqueret, celebratiſſimum Dianæ fanum in Aſia incendit; idq; (liceat mihi dicere) & Ariſt. præſtitiſſe videtur. quia, licet veritas ſit, quòd Deus habeat immenſam vim, liberè agat, & ab initio creauerit mundum, & infinitos mundos, ſi ei libuiſſet, facere potuiſſet; nunc etiam poſſit, ſemperq; futurum ſit, vt poſſit, in diesq; ex nihilo multa faciat, ac demum quòd nil impoſſibile apud ipsũ ſit; Ariſt. tamen aliter ſenſit.*

V. *Damnandus tamen ob id Ariſtoteles non eſt, quia tantùm lumine naturæ, & non reuelato, de Deo eſt locutus,*

& quia naturalis philoſophus præcipuè via motus cognoſcit, Deum, cæteraſq; ſubſtantias abſtractas eſſe,

Idcirco cognoſcit Deum finitæ certè virtutis,
Sed forſitan etiam infinitæ,
Cum hoc tamen, quòd non liberè agat, voluit, ſed cum quadam ſuæ naturæ neceſsitate:
Vnde creationẽ ex nihilo abſolutè nõ cognouit,
Et impoßibile duxit, eſſe plures mũdos hoc vno, contra Empedoclem, & Democritum:
Quem mũdum ingenitum, & incorruptibilem eſſe Ariſtot. probauit contra Anaxagoram, Platonem, & alios:
Cuius mundi primum mobile non modò habet eſſe ab ipſo Deo, verùm ab eodem mouetur effectiuè, & immediatè contra Auicen:
Sic tamen, vt reliqua ab ipſo pendentia, & ipſum primum mobile etiam finaliter ab eodem Deo moueantur:
Ipſe autem immobilis ſemper manet.

N. *Diuinorum veritatem motu indagantibus non ſecus contingit (vt optimè ait D. Auguſtinus) ac nitentibus cyatho aquam maris menſurare, & ob id ſapienter Simonides, a Hierone ſæpeſæpius flagitatus quid eſſet Deus, reſponſum tandem dedit, ſeſe in immenſam, ac incomparabilem lucem illam oculos conuer-*

tere minimè poſſe; Nec iniuria quidem, puteus enim altus eſt, & animalis homo non percipit, quæ ſunt ſpiritus Dei, vt teſtatur D. Paulus. Dicamus igitur, quòd Deus credi ſe voluit, & examinari noluit; credere iubemur, & diſcutere prohibemur; adſit fides, & ceſabit omnis quæſtio. De primo nunc pendentium gradu aliqua dicamus.

De primo pend. gradu. Cap. II.

V.

P*Rimus pendentium gradus, intelligentiæ ſunt præter primam, quòd intelligentiæ nomen non ſumo hic quatenus ſignificat primum mentis noſtræ habitum, quo perinde ac oculo, primò cum actionis, tum contemplationis principia intuemur, ſed quatenus ſignificat cæteras a prima ſubſtantias abſtractas, a quibus ſecundi orbes mouentur.*

De quibus quidem intelligentijs Peripateticus anceps non eſt an ipſæ ſint, velut Protagoras Abderites tergiuerſabatur, de Dijs dicendo, ſi Dij ſunt; vndè tot mala in mundo ortum habent? ſi non ſunt; vnde tot bona?

Quæ quidem intelligentiæ tot ſunt, quot orbes, Et a primo rerum fonte pendent; æternæ tamē contra Auicen. in hoc nec peripateticum, nec catholicum.

In quem primum fontem, ac vniuerſi ordinis ducem, illæ conſpiciunt ſemper, ipſumq́ pro facultate cognoſcunt.

Ac demum medium ſunt, quo Deus impartitur ſuam bonitatem his inferioribus.

Quarum intelligentiarum, ſicuti & primæ, cōſideratio pertinet ad Phyſic. & ad Metap.

N. *Callimacus non tergiuerſabatur de Dÿs, ſed penitus e medio tollebat: Cenſebat impius homo iſte, regnantes homines Deos finxiſſe, vt quadam religione ſubiectos ſibi populos faciliús cōpeſcerent, & a peccatis eos magis deterrerēt.*

Intelligentias autem non eſſe plures orbibus, manifeſté repugnat catholicæ noſtræ fidei; Chriſtiani enim Theologi, multas eſſe intelligentias aſſerunt, easq́ Angelos appellant: Quos Angelos in nouem Hierarchias, & ordines diſtinguunt, & D. Paulus, verborum ſeminator, ac ſanctorum morum meſſor, ad tres hierarchias coartauit ad ſanctiſſimæ Trinitatis imaginem.

Quos quidem Angelos Cirillus in expoſitione 34. pſalmi Dei arma vocat, ſunt enim Angeli miniſtri voluntatis Dei benedicti, ſicut & tu peripateticé aſſeris, Intelligentias eſſe mediũ, quó primus Motor operatur in hæc inferiora; Per Angelum enim Deus iuſto filio Lamec nũciauit, vt conderet arcam ob maximam aquarum inundationem; & Moiſes etiam, poſtquam vidit ardentem rubum, per Angelum Legem ſcriptam in auxilium peccatorum recepit in Monte Synai, quó pariter per Angelos D. Catherinæ virginis, & martyris corpus tranſlatum fuit; & licet quidam velint, Noem, & Moiſem Deum vidiſſe; legi tamen ipſe apud D. Joan. pri. Deum neminem vidiſſe vnquam, cuius dicti rationem hanc reddit Gloſ. 23. Nemo in mortali carne viuens Dei eſſentiam videre poteſt: At de his hactenus, multa enim enarrare poſſem, quæ Deus per Angelos, cum ante, tum poſt vnigeniti Filij incarnationem, fecit. At, cum ſimus corporei, quæramus corporea, & diuina diuinis derelinquamus.

De ſe-

De ſecundo pend. gradu. Cap. III.

DE Cœlo nunc ſententiam dicas quæſo; quod cœlum Auerroes ligamentum appellat inter abſtractas, & ſublunares ſubſtantias; nec immeritò quidem, omnia enim bina ad iungendum inuicem tertium requirunt, & quaſi nodum, vinculumq́; ipſum deſiderant, vt ait Cic. in lib. de vniuerſitate.

V. Cœli (quos adhuc neminem negaſſe vidi) multi ſunt, & differunt ſpecie.

Non tamen ſunt 365., velut cenſebat Baſilidianus Hæreticus, ad numerum dierum, quibus annus conficitur.

Hæc corpora, licet ſimplicia ſint, & non compacta ex elementis, velut videntur ſenſiſſe Pythagoras, Plato, & Anaxagoras, qui dicebat, cœlum eſſe confectum ex lapidibus, & ſolem eſſe ardens ſaxum,

Et ab omni contrarietate ſint abiuncta, (Natura enim æterna exemit a contrarijs;)

Animata tamen ſunt,

Non tamen viuunt, vt dicebat Orpheus, & Heſiodus, qui cenſebant, cœlos nutriri va-

poribus, à ſole ex mari Oceano in altũ delatis;
Et ab eorum anima vniformiter ſemper mo-
uentur motu tantùm circulari, & non alio
motu, contra quod Heraclitus Metapontinus
dicebat, cœlum quieſcere, ac terram moueri.
Et ſcias, quòd iſte circularis motus naturalis
eſt ipſi cœlo, & non alij corpori.
(Vnicuiq; enim corpori ſimplici vnus competit
motus ſimplex ſecundùm naturam;)
Quod magnum animal admirabile eſt, habet
enim dextrum, & ſiniſtrum,
In loco tamen non eſt,
Extra enim cœlum non eſt vacuum, nec plenũ:
Cuius ſimplicis corporis materia habet certè
annexam ſemper aliquam priuationem,
Non tamen eſt eiusdem rationis cum horum
ſublunarium materia.

N. *Hanc vocem cœli diuerſimodè ſumunt in ſacra ſcriptura, aliquando enim pro eccleſia Dei, vt in Dominica oratione, dum dicitur* Sicut in cœlo, & in terra. *Aliquando pro mente Sanctorum, ac ſeruorum Dei, vt in pſalmo 18. dum dicitur* Cœli enarrant gloriam Dei. *Aliquando pro ijs, qui ſapiunt diuina, vt in pſal-*

mo 49. dum dicitur, Aduocabit cœlum deſuper, & terram, vt dijudicet populum ſuum. *Nos autẽ, vt video, ſumimus vocem hanc pro quinta eſſentia, quã Pythagoras (a quo, vt fertur, philoſophia primo in Italiam fuit tranſlata) lyram Dei vocabat, cenſebat enim ille, & cũ eo Plato, proportiones, quæ ſunt inter motores, & mobilia, inter motores inuicem, ac inter mobilia inuicem efficere ſonos, & harmonias quaſdam.*

V. *Pythagoras iſte Samius (qui diſcipulis ſuis præcepta priùs taciturnitatis, poſtmodum ſermonis dabat) ſymbolicè dicere ſolebat, in luna, reliquisq́; ſideribus eſſe quatuor elementa, montium ſupercilia, vallium humilitates, ac demum omnia, quæ ſunt apud nos.*

N. *Hoc idem videtur ſenſiſſe Areoſtus lib. 34. his ſuis carminibus:*

Altri fiumi, altri laghi, altre campagne
Sono là sù, che non ſon qui tra noi;
Altri piani, altre valli, altre montagne,
C'han le Cittadi, e li Caſtelli ſuoi,
Con caſe, delle quai mai le piu magne
Non vidde il Paladin prima, nè poi;
Et vi ſon'ample, e ſolitarie ſelue,
Oue le Ninfe ogni hor cacciano belue.

V. *Allegoricè, & virtualiter, ipſe etiam credo, hæc omnia eſſe in cælo,*
At realiter, & actu, nego:
In corpore enim cæleſti nō poteſt eſſe terrenū corpus.

N. *D. Paulus non ne ad cælos realiter, & in corpore aſcendit, ibiq; teſtatur, vidiſſe, quæ non licet homini loqui? Danthes etiam non ne ad cælos & ipſe aſcendit, vt ipſemet his carminibus teſtatur?*

Nel ciel, che piu della ſua luce prende,
Fui io, & viddi coſa, che ridire
Nè ſa, nè può, qual di laſsu diſcende.
Perch'appreſſando ſe al ſuo deſire,
Noſtro intelletto ſi profonda tanto,
Che retro la memoria non può ire.

V. *Ipſemet D. Paulus addit, ſeſe ignorare, an in corpore, an extra ad cælos fuerit raptus; ſed, quomodocūq; hoc ſit, non naturali, ſed diuino modo fuit factum, de quo hic nō loquor.*

Danthem autem eximius Conciuis noſter, D. Belliſarius Bulgarinus in ſuis defenſionibus doctè, eleganterq́, oſtendit, nec naturali, nec diuino modo illud iter feciſſe, cui viro, quia maximè eum colo, maximè etiam credo.

N. *Vidi, & ipſe opera huius viri; qui omnium bonorum genus munificè ſibi proprio ſtudio, vel auxit, vel adeptus omnino eſt; & licet dixerim, Danthem ad cælos corporaliter aſcēdiſſe, tamen aſcripſi ſēper opinioni quorundam excelſorū Scriptorum; Danthem videlicet, vel finxiſſe, vel ſomniaſſe hoc ſuum iter; & ſi ſomnium fuit, ipſum ad cælos aſcendiſſe. vtinam tantùm per corneam portam (vt Homeri metaphora vtar) ingreſſum ei fuiſſet tale ſomnium.*

V. *Peripateticè nego hāc corneam portam:*
Somnia enim non à Deo, nec ab Angelɔ mit-
Nec fiunt in intellectu, (tuntur,
Sed eorum ſubiectum eſt ſenſus, ſicut & ſomni.
Et licet quædā ſomnia præſagiant nobis futura,
Non tamen per cælorum influentias (vt quidam perperam cenſebant) ſomnia fiunt vera, ſed ob alias cauſas,
Cælum enim non habet modum operandi in hæc inferiora diſtinctum à lumine, & à motu.
Quæ ambo inſtrumenta ſunt operationum cæli,
Et alterum ipſorum præcedit origine alterū,
motus enim origine prior eſt lumine.

N. Peripatetica hæc tua ſententia mediat inter Epicuream, & Stoicam opinionẽ de ſomnijs, geſtientes enim Epicurei (qui tantũ verbis Deum aliquando fatebantur) veritatem ſomniorum penitus negabant; Stoici autem omnia ſomnia penitus vera eſſe dicebant. At (vt Virgilij vtar metaphora) Iam ſumma procul villarum culmina fumant; Maioresq́; cadunt altis de Montibus vmbræ; & mihi adeundi modò ſunt ciuilium cauſarum patroni, aduocatiq; ; ne contingat mihi, vt legitur de Archimede, qui, patria obſidione oppreſſa derelicta cuſtodia, dum ſe ſe ad Mathematicarum rerum ſtudium recepit, eam immaniter ab hoſte expugnatam, ac depopulatam ſenſit; tu interim vale: cras ad te reuertar.

V. Dum ſic agis, obijci tibi minimè poterit, vt, cum conſideres cæleſtia, non videas terrena, velut fabulantur de quodam Thalete ſtellarum contemplatore, & rectè quidem agis; vir enim ſapiens, & prudens verſatur circa interna, ſuperna, externa, & inferiora. Eas bonis auibus, cras te expecto.

DIES SECVNDA.

De tertio pend. gradu. Cap. IIII.

N.

SALVE, *hodie me tibi moleſtum eſſe haud vellem, tamen & ipſe cū Solone (qui hominum leges inſtar Aranearum telas eſſe dicebat) gloriari vellem, quotidie aliquid addiſcendo, me ſenem fieri, & ob id cum heri de æternis, nunc de mortalibus (ne a ſancitis noſtris diſcedamus) aliquid dicamus velim, vt compertum mihi fiat, an Parmenides vera dixerit, dum mortalium, propter nimiam eorum fluxibilitatem, non ſcientiam, ſed opinionem quandam eſſe aiebat: & huius noſtri colloquij initium ſumamus ab elementis, tum quia ſunt in tertio pendentium gradu, tum etiam quia tunc putamus, nos cognoſcere vnumquodq;, quum cauſas primas, principia prima vſq; ad elementa cognouerimus.*

V. *Salue et tu. Nunc te videre gaudeo: Mœreo tamen, quod erres, dum a me diſcere poſſe putaris; accidet enim tibi non ſecus ac*

ſitibundis nauigantibus ſolet, qui per æſtum abſq; voluptate maris aquam bibunt. His tuis optatis facillimè reſpondere poſſem (cum talem de me opinionem conceperis) ſi, res non ſecus ſe ſe haberet, ac a nobis iudicatur, verum eſſet, vt perperam cenſebant Homerus, Protagoras, Heraclitus, Epicharmus, & quidam alij veteres contemplatores.

Te verò mihi moleſtum eſſe, nunquam tibi perſuadeas velim; Amicitia enim eſt ſumma voluntatum, ſtudiorum, atq; opinionum cõſenſio. Quam quidem Amicitiam aptè, elegantérq;, vt ſemper ſolet, D. Franciſcus Picolomineus, vir eminentiſſimus, in ſuis Moralibus ſic definit: Amicitia eſt proborum hominum mutuus, conſpicuus, confirmatusq́; Amor, ex probitatis cognitione conſurgens ad vitæ honeſtæ coniunctionem;

Scientiarum autem deſiderio te flagrare, non miror; Virtus enim quia homines, ciues, ac Principes intùs format, extráq; illuſtrat,

Ab omnibus hominibus naturaliter appetitur,

Quæ quidem virtus æterna eſt,

Nec ſolùm de æternis, verùm & de mortalibus habetur,

De ele-

De elementis autem quid habes dicendum, vt propiùs ad rem noſtram accedamus?

N. *Quoniam omnis, quæ cum ratione de aliqua re inſtitutio ſumitur, debet a definitione proficiſci, vt intelligatur quid ſit, de quo diſputetur, vt docet nos Cic. pri. offic. libro; Dicam in primis, quòd elementum eſt primum principium, quo res primò fit, & in quod vltimò reſoluitur: quam elementi vocem, non vt Grammatici, qui litteras, & ſyllabas, nec vt Geometræ, qui vnitates, nec vt Muſici, qui ſuas notas elementa vocãt, nec vt Mathematici, qui lineas figurarum elementa dicunt, nec demum vt Apoſtolus, qui vetus teſtamentum, & legem Moiſis elementa dixit, quia ex eis nos Deum diſcere aiebat; ſed Phyſicè vocem hanc intelligo. Quæ phyſica elementa eſſe, omnes veteres Philoſophorum ſectæ faſſæ ſunt, at quæ, & quot ipſa ſint, non omnes vnanimiter ſtatuebant, circa quæ non ſolùm ipſa Academia, verùm & qui philoſophi ſub vna, & eadem Secta fuerunt, inuicem diſſentiebant: Quidam enim, vnicum eſſe primum principium, & immobile, dixerunt; quidam*

vnicum, ſed mobile; quidam infinitum; & quidam finitum; quidam duo eſſe prima principia, quidam plura; & quidam infinita. De quibus quidem diuerſis philoſophorum opinionibus multa adnotabamus nos, quum primum phyſic. lib. præteritis annis, vnà perlegebamus: Ex quorum quidem diuerſis philoſophorum sẽtentijs ſuſpicari quis poſſet, nil poſſe comprehẽdi, & ob id ſapientem nulli rei tanquam perceptæ, atq; planè cognitæ aſſenſurum, vt aiebat Arceſilaus (ex mente Laertij) princeps mediæ Academiæ Platonicorum, & Carneades (ex mente Euſebij 14. lib. de præpar. Euang.) Inſtitutor tertiæ academiæ, quarum Academiarum nouam incepit Lacides, ſi veteribus ſcriptoribus credendum eſt.

V. *Scientijs minus detrahunt, eas negantes, quàm illis abutentes, Generabilium autem prima principia (quæ non ex alijs, neq; ex alterutris, & ex illis omnia fieri dico,*

Non ſunt infinita;

Quia ex illis nulla fieret generatio;

Nec ſunt pauciora duobus, quæ ſunt prima contraria,

(Omne enim quod fit ex contrarijs primò fit, & in ſuum determinatum contrarium vltimò reſoluitur)

Nec ſunt plura tribus, ad patiendum enim ſufficit vnum.

Horum trium principiorum alterum non per ſe, ſed vel per negationem, vel per analogiam quandam cognoſcimus. huiuſmodi primum principium materia eſt,

Quæ vnica eſt omnibus habẽtibus inuicẽ tranſmutationem, & dicitur cauſa ſine qua non.

De cuius materiæ eſſentia, quia potentia eſt,

Corruptibilis quidem eſt, verum & æterna.

Et quia habet ſibi coæuam, & coæternam priuationem;

Appetit ſemper formam, ſicut turpe pulchrum, & fœmina marem.

Alterum trium primorũ principiorũ eſt priuatio,

Quæ eſt ens, & non ens,

Benefica, & Malefica.

Tertiũ deniq;, & vltimũ principiũ forma eſt,

Quam perperam cenſent, qui integrè principium indiuiduationis eſſe dicunt.

Quæ quidem forma eſt terminus motus generationis,

At licet ipſa ſit in materia, eaq́; poſterior ſit;
eſt tamen nobilior materia, quam perficit:
Dat enim eſſe rei.
Et quia his formis materia prima denudata eſt,
Iure, & merito appellant quidam materiam,
ens, & non ens,
Bonum, & Malum,
Pulchrum, & Deforme,
Eamq́; dicunt eſſe finitam, & infinitam,
In loco, & non in loco.

N. *Etiam Manichei cenſebant, ſicuti actu, Materiam (quam propter eius inconſtantiam Plato vocabat magnum, & paruum) non per ſe, ſed adulterina cognitione intelligi, æternámq; eſſe; dicebant enim illi, materiam eſſe alterum independens, ſicut & Deus, & omnia, quæ in Mundo ſunt, ab his duobus principijs ſic pendere; vt bona a Deo, & mala a Materia deducantur.*

Stoici etiam (quorum princeps fuit Zeno Cyticus) dicebant, materiam eſſe indepẽdentem, vt Deus; & cuncta ab his duobus ſic pendere, vt a Deo, tanquam a principio actiuo, & a materia, vt a principio paſſiuo, fiant.

Ex qua quidem materia primò hæc quatuor vocata elementa fieri, non dubito; ſed a te ſcire velim, num hæc quatuor ſimplicia corpora verè animata ſint. Plato enim animata eſſe dicebat, Non enim fas ei videbatur, viles vermes viuere, hæc autem elementa, cùm ſint inſignes huius mundanæ molis partes, anima eſſe destituta. Orpheus etiam, animata eſſe elementa, aſſerebat, & duplici anima, altera maris, altera fœminæ; vt terra animata ſit Plutone, & Proſerpina; Aqua Oceano, & Theti; Aer Ioue, & Iunone; Ignis deniq; Phaneta, & Aurora.

V. *Orpheus iſte, & nonnulli alij priſci philoſophi non ſolùm elementa, & omnes cœlos viuere cenſebant, verùm & hoc totum vniuerſum, cuius animam vocabant matrem neceſſitatis. & quia videbant, res primò gigni, ſecundò augeri, ac tertiò corrumpi, & omnes mundanas actiones habere principium, mediũ, ac finem; fabulabantur, ex hac mundi anima, & Demogorgone patre natas eſſe illas parcas, Lacheſin, Clotho, Atropon nuncupatas, quarum fixas leges neminem effugere poſſe dicebat*

Homerus; Ariſtoteles autem, naturalium rerum mirus indagator, hæc, quæ ipſi animæ mũdi tribuebant opera, ad naturam naturãtem, quæ Deus eſt (de quo heri verba fecimus) refert; quæ autem tribus illis nentibus mulieribus ad naturam naturatam.

Quæ eſt principiũ motus, et quietis, in eo, in quo eſt, primò, & per ſe, et nõ ſecundum accidens. Cuncta enim naturalia corpora, ſiue animata, ſiue inanimata ſint, ſiue mixta, ſiue ſimplicia; ab ipſa natura mouentur, ab eaq; miro quodã ordine habent principium, medium, & finẽ; Idq; non eſſet difficile inductione probare; & ſic, Elementa enim mouentur motu recto ad propriam Sphæram, in qua tum quieſcunt, ac tertiò conſeruantur;

Generabilia autem ab eorum intrinſeco principio generationis motu (qui non fit in inſtãti, vt quidam cenſent) primò mouentur, Secundò motu augumentationis (qui fit ex cõſimili) tertiò deniq; motu corruptionis, qui et ſi ab eſſe ad non eſſe rem ducat, non tamen per ipſum reſoluitur compoſitum, vſq; ad materiam primam,

Qui etiam corruptionis motus licet deſtruat compoſitum, eſt tamen naturalis, & ſecundùm naturam.

Omnem itaq; naturalem actionem, quam Orpheus tribus illis Parcis tribuit, natura perficit ternario numero; vnde non ab re dicebat Ariſtoteles primo Cœli, ternarium numerum eſſe vndequaq; perfectum; quia omne totum, & perfectum numero ternario perficitur.

At eò reuertamur, vnde diſceſſimus. Elementa, quæ ſunt in medio huius eximij corporis, ſicut vitellum in ouo,

Licet non ſint homogenea (quia purum elementum non admitto)

Augeantur, ac diminuantur,

Appetantq; propriū locum (ad quē quò diutius mouentur, eò velociùs ratione medij mouētur)

Et licet viles vermes viuant, animata tamen minimè ſunt ipſa elementa;

Natura enim, quæ eſt ordinatiſſima, & cauſa ordinis, in rerum gradibus non facit ſaltum, vt ait Philoſophus.

N. *Hæc ſimplicia corpora, quæ inanimata eſſe mihi optima ratione perſuades, conſidere-*

mus nunc, vt conſtituunt hoc vniuerſum, & vt ſuggerunt materiam mixtis: Pythagoras, conſiderans ipſa, vt mundum conſtituunt, dicebat, terram moueri ad modum ſtellæ, & ignẽ eſſe in medio, quia honorabiliſsimo competit honorabiliſsima regio; vt autem ex his elementis mixta componuntur, conſiderans ipſa Empedocles Agrigentinus, cenſebat, id fieri per litem, & amicitiam; vt, adueniente amicitia, elemẽta vnirentur inuicem, & ſic fieret mixtum; &, adueniente lite, elementa diſgregarentur inuicem: & ſic fieret corruptio; te autem cum Peripatetico aliter de his ſentire, certò ſcio.

V. *Mundus iſte inferior, quem ſuperioribus lationibus oportet eſſe continuum, vt inde omnis eius vis regatur, & gubernetur,*

Conſtat ex quinq; corporibus ſimplicibus, quæ non omnia ſunt grauia, vt malè cenſebant Epicurei, qui, omnia corpora eſſe grauia, & minùs grauia a grauioribus quadam ui ſurſum extrudi dicebant;

Sed quoddam eſt ſummè graue, idq; terra eſt, quæ, cum ſit ſummè grauis, ſummèq; frigida, immobilis eſt; vt legere licet etiam in quodam Hymno tertiæ feriæ his carminibus. Telluris

Telluris ingens conditor,
Mundi ſolum qui eruens,
Pulſis aquæ moleſtijs,
Terram dediſti immobilem;
Vt, germen aptum proferens,
Fuluis decora floribus,
Fœcunda fructu ſiſteret,
Paſtumq́; gratum redderet.

Et quia ipſa ignobilior eſt igne, grauitat in medio mundi, eiuſq́; centrum eſt:

Quoddam corpus eſt neutrum, quod ſicut pellis extenſum eſt, & ambit reliqua ſimplicia corpora, quia tutelam expoſtulant (de quo corpore heri verba fecimus)

Quoddam corpus eſt ſummè leue, ſumméq; calidum, idq; ignis eſt.

Et quia hoc corpus alijs tribus nobilius eſt; nobiliorem ſibi vendicat locum immediatè ſub cælo, non autem in medio,

Ad cuius cæli motum circularem ſecundùm naturam etiam ipſe ignis mouetur:

Duo reliqua corpora mediant inter ignem, & terram, habentq́; de grauitate, & leuitate, at non æqualiter;

Aër enim eſt leuior aqua, & ob id eſt locus

aquæ, veluti Ignis eſt locus aëris.

Hæc quatuor ſimplicia corpora ui, & ab extrinſeco mouentur a propria Sphæra, ad quã a propria eorũ forma naturaliter reuertũtur;

Quæ quidem forma, ſcias, quòd non eſt eorum grauitas, vel leuitas, vt cenſebat Auerr: hæc enim ſunt inſtrumenta eorum recti motus;

Nec ſunt quatuor eorum alterantes qualitates formæ ſubſtantiales elementorum, vt volebant Græci;

Sed eſt quid prius his qualitatibus, quod cum nos lateat, circumſcribimus ipſum per ipſas qualitates.

Vt autem hæc quatuor vocata elementa ſunt mixtorum materia; conſiderantibus nobis ipſa, ad eorum quatuor alterantes qualitates deueniendum eſt; ſunt enim hæ qualitates inſtrumenta adeo neceſſaria ad generationem, & corruptionem; vt ſine illis nulla penitus fieret generatio, & corruptio.

Huiuſmodi quatuor qualitates ſunt caliditas, humiditas, frigiditas, & ſiccitas;

Quæ actiuæ omnes, & paſſiuæ omnes ſunt;

Cum hoc tamen, quòd duæ ipſarum ſint magis actiuæ, duæ magis paſſiuæ,

Per has, inquam, qualitates cuncta elementa inuicem tranſmutãtur, nõ tamen æquè facilè, Habentia enim ſymbolũ, faciliùs permutãtur. Et cum vnum elementum in aliud ſymbolum elementum permutatur, ſemper fit per præcedentem alterationem, quæ eſt motus ab vna in aliam qualitatem.

Ita tamen, quòd eadem ſymbola qualitas maneat in genito, ac erat in corrupto.

Per hæc itaq; cõtraria inſtrumenta (quæ forſitan Emped. innuebat per litem, & Amicitiam) fit mixtum ex elementis, quod mixtum non ita ex elementis adæquatis conſtat; vt detur æquale ad pondus:

Semper enim mixtum mouetur ab elemento prædominante.

N. *De mixto vt aliqua nunc dicamus, his tuis verbis occaſionem præbes. incipiamus igitur ab Imperfectis; naturam enim ſemper a confuſis ad diſtincta procedere, docet nos Ariſt. pri. phyſicorum lib:*

De quarto pend. gradu. Cap. V.

H*AEC enim imperfecta mixta, propter cauſarum, quibus fiunt, ignorantiam (qua ſtrictè teneor) maxima me afficiunt admiratione.*

V. *Ex his obſcuriſsimis parentibus, ex ignorantia videlicet, & ex admiratione, nobiliſsima philoſophia ortum duxit, propter enim admirari cæperunt homines philoſophari: At quæ tibi negocium faceſſunt, circa hæc imperfecta mixta? quæ non ex omnibus conſtant elementis, quæq; , cum in ſublimi tanta & figura, & perdurationis varietate fiãt, meteorologica ab Ariſtotele appellantur.*

N. *Cum vniuerſim hucuſq; plura, quæ in vniuerſo ſunt, tanta mea vtilitate declaraueris, & dubia, quæ mentem meam obſcurabant, placidè perſolueris; ſcias, quòd ea eſt vel ingenij mei imbeccillitas, vel rei naturæ obſcuritas, vt circa illa tot inſurgant dubia. Ex elementis hæc mixta fieri, non dubito; miror tamen non parum Imbrium, Niuis, Grãdinis, & Ventorum generationem, cum ma-*

teriam, finem, locum, ac cæteras cauſas ignorem; nec minorem mihi faciunt admirationem Cometæ, Saltantes Capræ, Areæ, & id generis plura, de quibus, ac de alijs cum his communibus, vt ſententiam tuam dicas, a te efflagito.

V. *Etſi horum cauſam agnoſcere difficile ſit, cum ipſa ſecundùm naturam minus ordinatam fiant, vt ait Ariſtoteles pri. Meteor. tamen, vt de imperfectis fieri ſolet, cauſam aßignabo, quam veriorem puto.*

Cum igitur cœlum omnium, quæ in hoc mundo ſunt, & fiunt, cauſa eſſe dicatur; ab eodem meteorologicorũ impreßiones fieri non dubito: Materiam verò remotam, elementa; proximam autem, alitus, qui ab his elementis eleuantur, eſſe dico.

Quorum alituum duo eſſe genera ſcias. alterum eſt vapor calidus, & humidus, alterum vapor calidus, & ſiccus.

Horum locus proprius eſt Aër, qui in tres regiones diuidi ſolet.

Pluuia a vapore humido, a ſole attracto, & in media aëris regione condenſato, fit; Nix autem ab eodem vapore, ſed congelato:

Grando verò ex eadem materia, ſed craßiori, & per maximũ frigus vehementius cõgelata:
Ventus ex alia materia, quam Philoſophi exhalationem calidam, & ſiccam appellant, quæ circa terram fieri ſolet.
Quæ exhalatio, ſi in cauernis terræ fuerit recluſa, nec aditus pateat, terræmotum facit.
Si verò exhalatio hæc in nubibus fuerit recluſa, tonitrua facere ſolet, dum, accenſa, exitum quærit, & fulgura, & corruſcationes.
Trabes, Capræ Saltantes, & Areæ ex illa exhalatione fiunt;
Cometæ ex craßiori materia, ſed eiuſdem generis cum iam dicta.
Maris ſalſedinis cauſam ad Solem, & ad terræ ſiccitatem, aquæ admiſtam refero.
N. *De gemino Sole quid dicis? quem aliquando viſum fuiſſe, imò & trinum, audiui; quod certè portentum mihi videtur.*
Si enim plures Soles reperiri poſſent in Natura; videretur & denominationem, & naturam amiſiſſe fulgentißimum, ac nobilißimum ſidus; Sol enim dicitur eo, quòd ſolus eſt inter nitidißima aſtra, qui tantum ſplendorem

emittat. & naturã amiſiſſe videretur; quia, si ad illuminandum, & calefaciendum mortalium hunc orbem illucuſq; ; quare etiam tunc, & in futurum non ſatis eſt idem vnus?

V. *Gemini Solis aſpectus fit ex nube humida, densáq; e conſpectu ſolis poſita, in qua, tanquam in ſpeculo, Sol reflectitur, eiusq́; figura nobis repræſentatur.*

Quando & trinus nobis apparet Sol, id fieri cenſeo reflexione valida figuræ Solis in vna nube, in aliam deinde concauam illi oppoſitam reuerberante.

Ex his autem meteorologicis te admiratione affici, ego nequaquam miror. hæc enim innumeris ferè hominibus dederunt anſam dubitãdi, ne hæc fierent propter Deorum iram, velut legitur de quodam ſtrenuo militum Duce, qui, ignorans, Solem eclipſari propter interpoſitionem Lunæ, cum in die indicti belli contigiſſet, vt Sol eclipſaretur, admiratione, ac terrore commotus, Id ob iram Iouis fieri ſibi perſuadebat; Hoſtis autem, huius eclipſis cauſam sciens, ipſamq́; ſuos milites docens, in aduerſarium admiratione, ac terrore ſopitum im-

maniter irruit, eiuſq; totum exercitum, ac ipſum Ducem ferro confecit.

N. *Non ab re Comicus ille dicere ſolebat, malorum omnium ignorantiam cauſam, radicemq; eſſe; ſed de Carthaginenſe illo Annibale, ac de Romanis aliter legitur, ac de a te dictis hoſtibus; Scribit enim Liuius, hos tam ſedulò in districtis inter Aretium, & Peruſiam inuicem micaſſe; vt non perciperent maximos terræmotus, quibus tunc temporis montes nonnulli adæquabantur, aliquæ Ciuitates funditus euertebantur, & ex quibus maria terram inundabant.*

De quinto pend. gradu. Cap. VI.

AT, *cum ſcientiæ hanc videantur habere conditionem, vt ita nos ad ſui deſideriũ trahant, & vna ad alterius cognitionem ſic nos alliciat, vt in infinitum ferè labor, & negocium pertrahatur, & quò nobilioris rei fuerit cognitio, maiori etiam animi anxietate, & quaſi violentia nos rapere videatur; Idq; perbellè Ariſt. innuiſſe videatur in ſuis moralibus,*

libus, dum dicebat, nos pulchræ puellæ pectus potiùs, quàm comas, caput, manus, ac lacertos appetere. Nunc de mixtis perfectis vnà sermonem habeamus, velim, videlicet de lapidibus, & vulgaribus, & praciosis, de quibus ante ſcire opto, quomodo generentur, quæ ſit eorum forma, quæ generationis locus, quæ ué eorum virtutes. quæ omnia ſi meo aſſequi marte vellem apud Ariſt: propter eius nimiam verborum obſcuritatem, breuitatemq́; his lapidibus egerem, Amandino videlicet, quem plurimum opitulari ad ænigmata interpretanda ſemper audiui, & Sardino, qui animum exhilarare, & ingenia acuere dicitur, ac demum Smaragde, quem plurimum memoriæ conferre adinueni.

V. *Studioſi animus (qualem tuum eſſe noui) a quibuſdam cōferri ſolet hydropiſi affecto, de quo Poeta ſic cecinit,*

Quò plus ſunt potæ, plus ſitiuntur aquæ.

His autē tuis ſelectis poſitionibus ex improuiſo nunc ſi reſpondeam; vereor, ne vacuo cocleare tibi (vt aiunt) os opplere tentem; diu enim eſt, quum his ſtudijs operā minimè dedi. at dicā tamē breuiter, quid ſentiam.

Generatiua lapidum facultas virtus mineralis eſt, quæ & lapides, & metalla efficit, vt in animalibus ex vaſe ſeminali exijt vis formatiua, quæ animal format, & efficit.

Hæc mineralis virtus duo habet inſtrumenta, Alterum calidum, humidum, extractiuum, digeſtiuumq́, congelationem inducens ad formam lapidis in terreſtri, quod paſſum eſt ab humido flatuoſo.

Alterum inſtrumentum eſt materia humidi aquei, quod inſtrumentum paſſum eſt a ſicco terreſtri, & hoc eſt frigidum humidum, non tamen conſtrictiuum, ſicut in metallis fit, ſed quod ſit etiam humidi expreſſiuum, hoc enim vehementius indurat, & coagulat.

Forma ſubſtantialis lapidum non ſunt formæ elementorum, nec anima, vt quibuſdam placuit; ſed propria mixtorum homogeneorum eſſentia, a virtute mineralium ad formam coagulatam.

Finis horum cum propria forma coincidit, ſi ad complures deinde vtillimos verſatur vſus; quod hominis induſtria, munere nobiliſſimæ artis fit.

Locus ipſorum vtplurimum eſt in ripis aquarum perpetuarum, non tamen omnis aqua in ripis eſt generatiua lapidum; requiritur enim, vt ſint plures montes, vt experientia docet:

Quæ quidem aquarum Ripæ differunt inuicem, quia velocius quædam Ripæ, & quædam tardius lapides generant.

Materia lapidum eſt terra, & aqua; terra ad conſiſtentiam, & aqua ad coagulationem natura vtitur.

Qui quidem lapides magis vel minus perſpicui ſunt, prout plus, vel minus terræ, vel aquæ in eorum conglutinatione ingreditur.

N. *Hæc a te de lapidibus hucuſq; dicta in vniuerſum lapides reſpiciunt: De Auro, argento, & de alijs præcioſis lapidibus (qui, cum rari ſint, & in penetrabilibus terræ, mariſq; sint, re conditi, ab hominibus maximi fiunt) quid ſentis? hos lapillos videtur natura abſcõdiſſe, perinde ac ipſa fures timeret: Quorum præcioſorum lapidum vires, recordor, me iam legiſſe, nonnullos veterum ſcriptorum aſſeruiſſe, fieri ab elementorũ qualitatibus, quoſdam*

alios a Stellis, & ab Imaginibus cœli; Idq; aiebant nonnulli Indorum, & præcipuè quia colores præcioſorum lapidum cœli coloribus reſpondere vidētur; Ipſe autem (vt vera dicam) de hoc anceps hucuſq; ſum, ſimiliter etiam de Herculeo lapide quomodo propria virtute ad ſe ferrum attrahat, quare etiam ſemper verſus nobiliſſimum ſidus Aquilonem vergat, cauſam ignoro; Hæc enim quaſi portenta in Natura ſemper duxi, velut etiam, quod de electro experientia cernimus; sēſibus enim percipimus, lapidem hunc paleas propria, & non aliorum virtute ad ſe attrahere, & per ſe ſumptum lapidem hunc nil ferè odoris habere, muſcho tamen admixtum illi ſuauitatem augere.

V. *Lapidum virtutes neq; a cœlorum imaginibus, neq; a ſtellis ſiunt, licet aliqui eorum colores cœlorum coloribus reſpondere videantur, ſed ab eorum propria ſpecie, & ab eorum prodeunte ſubſtantia manant. Eſt enim in qualibet ſpecie proprium bonum ſecundùm formam, qua informatur, & perficitur.*

Aurum & Argentum, quid eſt, quod hoīnines tanti faciant? hæc enim nil aliud ſunt,

quàm terra cum aqua conglutinata: Auri color ſimilis eſt colori nobiliſsimi, ac fulgentiſsimi ſideris; virtus autem ſimilis ferè videtur vini facultati, etenim & Aurum, omnium Medicorum conſenſu, lætificat cor hominum; quod & merum præſtare experientia patet, & Horatius nos docet, dum dicit

Fœcundi calices quem non fecere diſertum?

Aurum conſtat ex ſulphure puriſsimo, & ex Argento viuo, a calore valdè ſubtiliato, quod minimum terreſtreitatis habet, & aqua quā tenuiſsima, ac puriſsima admixtum eſt.

Quæ optima, ac mira temperantia cauſa eſt, vt Melancoliæ, & cordis tremori propria virtute ipſum non parum conducat.

De Herculei, ac de Electrici lapidis effectibus iure quidem miraris, horum enim effectuum cauſa nobis abdita eſt; vnde non perperam dicunt, aſſerentes, nos vltimas rerum formas latere.

Cenſemus tamen nos, hæc fieri propter Antipathian, ac Sympathian rerum, quas Latini conſenſionem, & diſſenſionem rerum vocant; Et ſcias, quòd lapidibus, aliiſq; rebus in hoc ter-

rarum orbe, non ſecus contingit, atq; hominibus in Ciuitatibus euenire ſolet; quidam enim homines clam, quidam verò palàm ſe ſe amore, vel odio proſequuntur; ſic quædam eorum, quæ ſunt, palàm per manifeſtam virtutem operantur, vt ignis per calorem calefacit, aqua per manifeſtam humiditatem, & frigiditatem humectat, & frigefacit; quædam autem per nobis occultam virtutem operantur, vt de lapide Herculeo, alijſq; percunctatus es operationes.

N. *Medici etiam videntur fateri, quod tu ex mente philoſophorum confirmas; dicunt enim plures, Rhabarbarum coleram per nobis occultam virtutem expurgare: ex quo admirandum Animal homo eſt; licet enim rerum cauſas ignoret; rebus tamen ipſis ad præclara munera perpetranda vtitur, vt ad expurgandam coleram Rhabarbarum, adinuenit, & ad nauigationis vſum Herculeum lapidem; qui, cum ad illius ſemper vergat ſidus, quod propè polum in cauda minoris vrſæ eſt, varias mundi regiones expertus Nauta agnouit. Sed hæc miſſa faciamus; & cum Poeta dicamus hodie*

Claudite iam riuos, Pueri; ſat prata biberunt.

Cras te adibo, vt incepto muneri de Independẽti, ab eóq; pendentibus finem demus; Tempus enim nunc eſt, vt & nos, ad inſtar formicæ, grana in horrea colligere curemus. Vale.

V. *Hoc certè & mihi per gratum erit, eas felix.*

DIES TERTIA.

De ſexto pend. gradu. Cap. VII.

N.

SALVE. V. *Etiam et tu. dicas quæſo, quò tendis hac intempeſtiua hora?*

N. *Dicam. Aſcribam nunc libenter quidem opinioni quorundam veterum Philoſophorum, aſſerentium, fortunam, & caſum eſſe rerum omnium cauſam; quam tanti fecerunt nonnulli priſci; vt ita Deam fortunam cenſerent, ac in eius poteſtate omnes humanæ actiones poſitæ eſſent; & ob id (vt legitur) Romæ Templum Fortunæ dicatũ fuit, quod Lucullus magnis opibus conſtituendum curauit, ipſumq;*

a magnis Artificibus conditis ſtatuis dicauit. Et Seruius Romanorum Rex (vt aſſeruit Varro) extra vrbem ſecundùm tyberim caſui, & fortunæ ædem conſecrauit; & in ea hiſce Dijs in magnis ſuis felicitatibus ſacrificabat. Sed dices forſitan, Ad quid tam inſtanter nunc ex improuiſo fortunā, & caſum laudas? & præcipuè quia ob earum eximiam inconſtantiam meruerunt ſeſe ab egregijs Pictoribus ſedentes in pila pingi: Scias quod mane te equitaſſe mihi relatum fuit, & ipſe adibam nunc Reuerendum Cucullatum, noſtrum communem amicum, qui, præteritis diebus, mihi pollicitus erat oſtendere quomodo memoria ſit etiam intellectiuæ animæ particula; ipſe enim hucuſq; ratum, confirmatumq; ſemper habui, memoriam eſſe tantùm ſenſitiuæ animæ particulam, & præcipuè quia experientia cernimus, etiam & Bruta recordari: Nunc autem, cum præter ſpem in te inciderim, non ne hoc a caſu, vel a fortuna eſt? & cum hominibus in terris nil iocūdius, nil ſuauius cōtingere poſſit, quàm habere, quo cū omnia ſic audeant loqui vti ſecum; nonne fas tibi videtur, ſi caſum, & fortunam nūc laudem?

Heri

V. *Heri veſperi in animum mihi induxi Rus petere; at, quum recordatus fui, nos hodie fore vnà collocuturos, vt ſermoni de pendentibus a Deo finem daremus; futuram diem ad equitandum conſtitui. Caſum autem, & fortunam eſſe rerum omnium cauſam, non defuerunt quidem inter Antiquos, qui, ob cauſarum, quibus res fiunt, ignorationem, ſibi perſuaderent; quam fortunam, vt magis oſtenderent nonnulli ipſorum, rerum omnium imperium habere; cæcam, ſurdam, & habentem gubernaculum, cornúq; pingebant: & ob id forſitan Plutarchus, vir in pluribus diſciplinis eruditiſſimus, aſſerebat, Prudentiam, Iuſtitiã, ac Potentiam, nunquam ſatis poſſe, niſi comitem fortunam habeant, ab eáq; omnes humanas actiones vim, ac pulchritudinem recipere addebat. Ipſe autem, vt breuiter quid ſentiam de re hac, dicam; licet non plura quatuor eſſe genera cauſarum ſemper ſenſerim, Et rerum omnium ſedulam matrem naturam ſemper propter determinatum finem agere; caſum tamen, & fortunam non inficior, Cum hoc tamen (vt percepi a D. Iugurtha*

Thomaſio, præceptore meo, viro ſane eruditiſſimo) quod omnibus humanis actionibus Deũ præeſſe ſemper crediderim, & ipſarum partim naturæ, partim voluntati noſtræ, & partim inopinatis, ſubditiſq; caſibus committere ipſi Deo Optimo Maximo placuiſſe:

Unde Monſtra, & alia huiuſmodi generis a Caſu, & a Fortuna fieri cenſeo.

N. *Monſtra, & a natura, & a caſu, vel a fortuna fieri, non eſt dubium; ſunt enim, vel propter exuberantiam, vel propter defectum materiæ; fiunt necnon etiam ab Arte; Geſtatores enim, & circunforanei lucri cauſa, inter alia puellas in caueis alunt, ne creſcant; ſed habeant ſeſe admodum Pygmeorum, quos fabulantur aſsiduum bellum cũ Gruibus habere.*

V. *De huiuſmodi hominum genere, ſuperiori anno, longam diſceptationem habui cum P. noſtro amantiſsimo, viſis enim a me multis locis Ariſt., viſo Plinio in 7. lib. vbi aſſerit, Pygmæos vitam degere in extremis partibus Indiæ, ac Ptolæmeo in 3. lib. dum loquitur de huiuſmodi animalium bellis, & Alberto magno in 7. de hiſtoria animalium, ac demum*

perlectis nonnullis alijs ſcriptoribus, huiuſmodi ſpithamos tricubitali magnitudine dari, & non viuere vltra octauum annum, & ob id quarto anno generare ſibi ſimile, mihi quidem perſuadebam, homunculos iſtos verè eſſe in rerum natura. P. autem amicus noſter reiectis omnibus meis rationibus, & auctoritatibus, eleganter oſtendit, niſi violenter tanta paruitate homines naturà minimè haberè, cuius viri opinioni ſemper aſcribam.

N. Hæc animalia (Trogloditha nuncupata, cum propter eorum incuruam figuram, tum quia in cauernis habitare dicũt) & ipſe haud dari ſemper mihi perſuaſi. At diſcedamus ab hoc ſermone, & propiùs ad animalia accedamus, quæ ſunt in ſexto pendentium gradu, & in primis, ſi tibi placeat, dicas, num cenſeas, veram eſſe opinionem noſtri Reuer. Cucullati, videlicet, quod memoria etiam intellectiuæ particulæ inhæreat; Et ſcias, quod in hoc Reuerendus, & ego de memoria conueniebamus, videlicet, quòd ipſa tantum temporis præteriti ſit, & non præſentis, aut futuri; ac de futuro tempore eſſe magis ſpem, &

opinionem, ac diuinandi ſcientias, videlicet, Aſtrologiam iudiciariam, quæ ex aſtrorum cõfigurationibus futura iudicat, Phyſionomiam, quæ ex membrorum habitudine ad inuicem indagat animi mores, Chiromantiam, quæ ex lineamentis docet agnoſcere longitudinem, ac breuitatem vitæ; & Negromantiam, quæ per mortuorum ſigna, & per apparentia in Aëre tradit regulas præuidendi futura; huiuſmodi inquam ſcientiæ verſantur circa futura, at memoria (vt aſſerit Ariſtot. & Cicer. in pri. Tuſc.) eſt præteritarum, & ſignatarum rerum in mente regiſtrum.

V. *Quia anima noſtra aliquo modo dependet a ſenſu,*

Et animi mores (vt aiebant Galenus, & duo Philoſophiæ lumina Plato, & Ariſtot.) ſequuntur corporis temperamentum:

De futuris contingentibus datur aliquo pacto ſcientia:

Vnde aliquam diuinandi ſcientiam verãm aliquando eſſe cenſeo:

Non dicam ſemper, quia, cum homo a DEO Benedicto libera volũtate ſit munitus, aſtris,

corporis lineamentis, & membrorum diſpoſitioni dominari valet.

Memoria autẽ, quæ eſt habitus Phantaſmatis, Eſt partim ſenſitiuæ, partim intellectiuæ particulæ; at non æquo modo.

Qua quidem memoria magis vigent hebetiores ingenio, quàm acutiores, vt quidam cenſent; quam ſententiam ipſe non ita recipio, vt non & vice verſa credam, hebetiores ingenio eſſe etiam acutiori memoria.

N. *Memoriam eſſe intellectiuæ, & ſenſitiuæ animæ particulam, ſed non æqualiter, placet quidem mihi; quia, ſi quid habet memoria cũ intellectiua anima, hoc eſt per accidens, non autem per ſe vt cum ſenſitiua. Sed accedamus nunc propiùs ad animata, & in primis (vt ordinatè procedamus) ad plantas, quas, Pythagoras, memoriam habere, ſibi perſuadebat; Dicebat enim vir iſte, Plantas nõ ſolùm nutriente, verùm & ſentiente anima viuere. Anaxagoras etiam, & Democritus, cum viderent vlmum amicam viti, cui inimica eſſent olera; ignorantes ipſi, id ratione temperamenti contingere; dicebant plantas, quia*

lis, & amicitia non ſunt abſq; cognitione, non ſolùm ſentiente, verùm & intelligente anima viuere; vnde hi Philoſophi, plantas dormire, vigilare, ac recordari dicebant. Aliter Stoici penitus credebant, quia plantas, nec animalia, nec animata eſſe volebant; Plotinus autem aſſerebat, plantas non propria anima, ſed Plutone, & Proſerpina (quæ anima terræ dicuntur) viuere, ipſasq́; plantas terræ excrementa, velut ſentiẽtis animalis pilos vocabat.

V. *Pro mundi ornamento, & pro animalium vſu, vaga & ordinatiſſima natura, varia herbarum, arbuſtorum, plantarum, atq; arborum genera produxit, indieſq; producit, ex quibus quidem, & mundus ornatur, & animalia alimenta ſumunt:*

Quæ plantæ certè animatæ ſunt, habent enim vegetatiuam animam, qua nutriuntur, donec viuunt, velut, & reliqua animalia,

Præter quam vegetatiuam, ſi alia anima plãtæ viuerent, vel mundus non eſſet plenitudo omnium ſpecierum, cum nil aliud ſit, quod hac vnica anima viuere poſſit,

Vel in natura daretur tranſitus immediatus

ab vno ad aliud extremum, quod eſt impoſſibile, velut & in motu locali.

Vnde, quia Deus, & Natura nihil fruſtra faciunt, & nulli facultatem tradunt abſq; inſtrumentis, tali facultati deſeruientibus; Cum Peripatetico aſſerendum eſt, plantas tantùm vegetatiua anima viuere.

Quæ anima, ignobiliſſima quidem, ſed maximè neceſſaria, dignitate ſanè poſterior eſt ſentiente, & intelligente; ſed origine prior, ipſa enim abſq; alijs valet in corpore eſſe, at non alia abſq; illa.

Cuius vegetatiuæ animæ naturaliſſimum, ac perfectiſſimum opus eſt generare ſibi ſimile; Eiuſq; virtutes, ac facultates ſunt præcipuè alere, augere, ac generare:

Quæ potentiæ non realiter, ſed tantum per rationem inuicem diſtinguuntur.

Neq; ab animæ eſſentia ſeparantur realiter.

Quare dicendum eſt, plantas memoriam non habere, qua etiam Zoophita, aliáq; imperfecta animalia, vt ſpongia, & oſtrea, carent.

Et licet omnis naturalis operatio habeat præfinitum tempus à natura, vltra quod non

valet amplius tunc operari, ſed laſſatur operans, ac eget quiete;

Somno tamen (quem vigilia poſteriorem eſſe cenſeo) non capiuntur plantæ.

N. *Nimis peripateticus es. Quid enim eſſet, ſi plantas (iocandi tamen gratia) & ſentiente anima viuere diceremus? ſenſu enim percipimus, ipſas, velut & bruta animalia, non eodem, ſed quaſdam plantas obſcuriori, & quaſdam eminentiori vitæ gradu viuere, & præcipuè, quia, cum ipſæ alimentum ſumant, videntur ſenſum ſaltem guſtus, & tactus habere. At video te dicentem, quod ſenſus duplex eſt, animalis alter, quo ſenſitiua viuunt, & alter naturalis, quo viuunt plantæ.*

V. *Metaphoricè dicere quidem poſſumus, plantas etiam ſentiente, ac intelligente ſubſtātia viuere, ſed nequaquam realiter, & actu.*

N. *Ut video, non ſubſcribis opinioni Galeni, qui, animam temperamentum eſſe, cenſebat, nec Cleantis, Antipatris, Zenonis Cittici, ac nōnullorum veterum philoſophātium, qui, animam non ſubſtantiam, ſed accidens quoddam, eſſe dicere audebant; De qua anima,*

ma, tranſactis menſibus, varias legi ſcriptorũ opiniones. quidam penitus animam negabant, ſed quidam figmentum eſſe volebant, in quorũ numero (referente Cic. in pri. Tuſc. quæſt.) fuit Dicearchus, Pherecrateſq; , eorum autẽ, qui animam eſſe concedebant, alij (vt dixi) ipſam accidens eſſe credebant; Alij corpus, vt Heraclydes Pontinus, Heſiodus, ac multi alij, qui omnes his præcipuè rationibus nitebantur, Agens agit per contactum, Anima agit, ergo per contactum, ergo eſt corpus; ſecunda omne ſimile cognoſcit ſibi ſimile; anima cognoſcit corpus, ergo ipſa eſt corpus: Quidam autem rectius dicebant, vt Pythagoras, Plato, & Ariſtot., Animam eſſe ſubſtantiam, & viuentis corporis entelechian.

V. Anima, nulli dubium eſt, quòd non eſt accidens, ſed ſubſtantia;

Quæ eſt viuentis corporis cauſa in triplici genere, videlicet efficienti, formali, & finali.

Quæ anima etſi cognoſcat, ac iudicet corpora, eáq; moueat; non tamen eſt corpus.

Tum quia non omne agens per corporalem cõtactum operatur, tum etiam, quia omne re-

cipiens debet eſſe denudatũ a natura recepti; anima ergo intelligit corpus, ergo nõ eſt corpus. Eſt tamen in corpore, vel circa corpus, Anima enim eſt actus primus corporis phyſici organici, potentià vitam habentis.

Ex qua animæ definitione cunctis compertum eſt, tota aberrare via aſſerentes, etiam arte viuentia corpora conſtrui poſſe.

Cuius quidem animæ tres ſunt gradus, vegetatiua, ſenſitiua, & intellectiua:

Vegetatiua viuunt (vt dixi) plantæ, quæ nutriuntur per determinatum alimentum, quod eſt humor repertus in terra, quem humorem plantæ ex radicibus in terra ſumunt.

Cui terræ adhærent sẽper præter naturam vniuerſi, & ſecundùm naturam animalis.

Quibus plantis rerum omnium prouida mater natura folia dedit, vt per ea ab exterioribus noxijs fructus ſuos defenderent.

Vegetatiua anima, & ſenſitiua, ſed imperfectè viuunt ſtirpanimalia, quæ media ſunt inter plantas, & perfecta animalia:

Huiuſmodi animalia imperfecta ſunt Conchilia, Spongiæ, & alia ſimilia, quibus, præter

guſtum, & tactum, deſunt reliqui exteriores ſenſus.

Quæ animalia etſi moueantur ad nutrimentum; immobilia tamen ſunt.

In quorum numero habendæ etiam Talpa, quæ minimè habent ſenſum viſus, nec non etiã numeranda ſunt multa alia animalia, quæ nunquam, dicendum eſt, ipſa, vel aliquod ipſorũ, in igne vitam degere, nec vri, aut in aëre ſemper, vt fabulantur de Auicula Dei.

N. *Non inficior, imperfectorum animalium quædam immobilia eſſe; & animalia, ſiue perfecta, ſiue imperfecta ſint, in igne tamen viuere minime poſſe, velut de Salamandra dicitur. Nec negabis, quædã imperfecta animalia prædita eſſe phantaſia, uiq; iraſcẽdi, ac demum ipſa non habere multas animi perturbationes.*

V. *Non quidem, illis enim non deeſt cor, vel quid proportionale cordi.*

N. *Dei auiculam in aëre ſemper vitam ducere, etiam ipſe mihi ſemper perſuaſi, eſſe quid fictitium, velut etiam poetæ aliquando fabulati ſunt de Centauro, de Minotauro, de Hircoceruo, ac de alijs animalibus, con-*

ſtantibus ex diuerſis partibus diuerſorum animalium.

V. *Licet Poetis multa fingere, atquid de perfecto Animali ſenſitiuo dicendum nunc eſt? quod animal nonnulli veteres philoſophi affirmarunt, etiam anima intellectiua viuere.*

N. *Dic obſecro, quid verè de his animalibus philoſophatus es? & breuiter quaſò, te enim hodie curis angi, certò ſcio.*

V. *Dum tecum loquor, nil cura mihi eſt, Hæc autem ſenſitiua animalia conſtant ex corpore, & anima ſenſitiua, quæ ſequitur animam vegetatiuam:*

Quibus animalibus natura intellectiuam animã non dedit, ſed muniuit ipſa tantùm quinq; exterioribus ſenſibus, & tribus præcipuè interioribus, videlicet ſenſu communi, imaginatiua, & memoria:

Quibus ſenſibus iucunda cognoſcunt, & indagant; noxia verò pro facultate fugiunt:

Qui externi ſenſus ſunt viſus, auditus, olfactus, guſtus, & tactus, omnes actiui, & paſſiui; Sentire enim eſt quoddam pati, ſicut & intelligere,

Horum quinq; ſenſuum ignobiliſſimi ſunt tactus, & guſtus, at omnibus priores, ac magis neceſſarij.

Olfactus, quia eſt minus materialis, quàm guſtus, & tactus; his duobus ſenſibus nobilior eſt, at ignobilior viſu, & auditu, qui ſunt ſpiritaliores olfactu.

Viſus itaq;, & auditus nobilitate præſtant alijs tribus exterioribus ſenſibus; quia omnibus ſpiritaliores ſunt, ac etiam quia intellectui humano ad ſcientias capeſſendas magis conferunt.

Non tamen viſus, & auditus æqualiter nobiles, nec æqualiter neceſſarij ſunt ad ſcientias acquirendas.

Viſus enim, qui nobilior eſt auditu, quia citiùs, ac longiùs & modo magis ſpiritali operatur (& ob id Ariſt. pri. Metaph. tex. 1. aſſerit nos viſum magis amare) eſt etiam magis neceſſarius ad ſcientias, quæ ex ſe acquirũtur.

Auditus autem non ita ſpiritaliter, vt viſus, operatur, nec ita neceſſarius eſt ad ſcientias illas, quæ ex ſe, ſed ad eas, quæ ab alijs acquiruntur.

His quinq; ſenſibus exterioribus etiam admirabilis homo viuit, qui, ad mentem omnium ſapientium mundi, conſtat ex corpore generabili, & corruptibili, & ex anima rationali, æternáq;.

Quæ intellectiua anima penes eius duo munera in duas partes a nobis diuidi ſolet, in agentem nempe, & poßibilem intellectum.

Intellectum agentem nonnulli arbitrabantur, & malè, Deum eſſe, malè inquam, quia intellectus agens, & poßibilis non realiter, ſed per rationem diſtinguuntur inuicem.

His duabus intellectus partibus homo natus eſt beari.

Ac per has partes homo cum fuerit ſingula factus, omnia ſiue actiua, ſiue ſpeculatiua ſint, intelligit.

De Logica. Cap. VIII.

AD quod præſtandum maximè neceſſaria eſt nobis Logica, quæ tradit inſtrumenta ad acquirendum ipſum ſcire.

Quod eſt rem per cauſam cognoſcere, propter

quam res eſt, & quoniam illius eſt cauſa, & non contingit aliter ſe habere.

N. *Non inficior hæc omnia, & præcipuè quòd Logica ſit vndequaq; neceſſaria ad ſciẽtias capeſſendas; Logica enim (vt ait Boethius in com. Top.) eſt quædam diſciplina, quaſi diſſerendi magiſtra, hæc enim nos rectè parat, varijſq; modis aptos reddit ad reliquas diſciplinas, rectéq; inſtituit, ne ab alijs decipiamur; ac demum argumentãdi locos, ac regulas communes tradit; & ob id D. Auguſtinus maximè logicam timebat, ipſamq; a diabolico ingenio fuiſſe adinuentam aiebat, quia Logicus in verum contra niti ſemper, & melius dicenti nunquam cedere, ac in falſo verum viuere gaudet; Idq; cognoſcens Origenes, Logicam ſignificabat per ſinipem, quæ (vt refert ille) eſt animal volatile ita ſubtile, & exiguum, vt oculis cerni difficilè poßit, cum autem animato corpori hoc animal adhæret, acerbißimo ſtimulo ipſum terebrat; Ita dicebat ipſe Origenes, Logicam ſubtilibus verborum ſtimulis animum noſtrum terebrare, ipſumq; ſerpere, vt deceptus homo nec videat, nec intelligat.*

Plato etiam dialecticam tanti faciebat, vt (ſi rectè memoria teneo) hæc Theologiã (quæ diuina docet) antecedere ſibi videretur. Ipſe autem, dum mecum logicæ nobilitatẽ, ac ſubtilitatem conſidero, anceps ſum, num ipſa laudanda magis ſit propter eius vtilitatem; eſt enim inſtrumentum ad ſcientias capeſſendas: an potius propter ſui nobilitatẽ, quia maxima vtitur abſtractione, & ob id dicitur ars artiũ, & ſcientia ſcientiarum: & cum ipſam inſtrumentariam cognoſco, ars mihi illa videtur, & cum liberum hominis animum eam non coinquinare, imò aptiſſimum ipſum ad actionis, & contemplationis vſum reddere animaduerto; Logicam inter Grammaticam, Rhetoricam, Poeticam, Hiſtoriam, & Muſicam numero, quæ omnes liberales, ac ingenuæ artes animũ reſpicientes ſunt; ipſum enim ornant, & ad altiora excitant; Tu autem quid de nobiliſſima, nec minus neceſſaria arte hac habes dicẽdum?

V. *Logicam artem eſſe, non dubito: Eiuſq; adæquatum ſubiectum cenſeo eſſe ens rationis, vt per ipſum condimus inſtrumenta ſciendi, & cognoſcendi verum a falſo;*

et ob

Et ob id, definiens Logicam, dico, eſſe diſciplinam, nobis modum tradentem formandi ea inſtrumenta, quibus ad ſcientias formandas, & addiſcendas maxime iuuamur.

In qua Logica primò introductionis loco, non autem tanquam pars neceſſaria, legitur liber de quinq; vniuerſalibus vocibus Porphyrij.

Tum ſecundò ſequuntur decem prædicamẽta, quæ, ſi abſolutè ſumantur, ad Metaph. ſpectant; ſi autem ratione ſubordinationis prædicati, ad Logicum pertinet eorum tractatio.

Vnde ſtatuendum eſt, in prædicamento ſubſtãtiæ minimè conſiderari ſubſtantiam DEI, reliquarumq; abſtractarum mentium:

Tertio ſuccedunt libri, qui Perhiermenias nũcupantur; in quibus agitur de enunciationibus. Quartum locum occupant libri Priorũ, in quibus conſideratur figura ſyllogiſmi,

Qui ſyllogiſmus eſt oratio, in qua quibuſdam poſitis, & conceſſis, neceſſe eſt aliquid euenire per illa poſita, & conceſſa.

Quinto; & vltimo loco ſunt lib. Poſt. lib. Top. ac lib. Elench. in quibus agitur de ſyllogiſmo ſophiſtico, & fallaci, de ſyllogiſmo probabili,

ac de ſyllogiſmo demonſtratiuo, qui veram ac indubitatam ſcientiam parit.

Et ob id demonſtratio, quæ in ambobus lib. Poſt. conſideratur, debet conſtare ex primis, veris, notioribus, prioribus, cauſiſq; cõcluſionis.

De Rhetorica. Cap. IX.

N.

LOGICAE *conſanguineæ, imò & germanæ ſunt Rhetorica, & Poetica, circa quas parumper digrediamur velim; Muſonius enim philoſophus monet, animum relaxãdum, ac demulcendum aliquando nobis eſſe, dummodo caueamus intemperantiam: Hoc idem Homerus etiam pri. ſuæ Odiſſeæ nos docet, dum inducit Iouem, vt a maximis gerendarum rerum curis aliquantulum animum remitteret, ad AEthiopes migrari, quo loci grato Conuiuio, lautis epulis ſe inuitare, ac iubere Phœbum ad Cytharam, Giganteam canere victoriam, per quod quidem figmentum Poeta nil aliud intelligit, niſi auocationem mentis interdum ab aſſiduo intellectus labore; Idq; animaduertens Socrates, in ſexageſimo ſuæ*

ætatis anno, lyra, & fidibus tunc ſe ſe erudiri minimè erubuit. Cum igitur hucuſq; circa contemplatiua phyſiologica animo, & oratione verſati ſimus; nunc ad has tres ornatiſsimas Puellas, Ad Logicam nempe, ad Rhetoricam, & ad Poeticam animum reuocemus; quæ tres facultates & voluptati quidem, nec minus vtilitati homini ſunt; Homo enim, cum ſit quid ſublime (vt etiam tu aſſeruiſti, quia cũ fuerit ſingula factus, omnia ſcit, ſeipſum noſcit, ac demum humanas actiones dirigit, & corrigit) ratione, & oratione explicat ſui animi paſsionem, idq; animaduertentes priſci ſapientes, Rhetoricam (a qua exordiamur nũc, cùm de Logica ſimus collocuti) ſapientiæ nomine cohoneſtarunt; dicebant enim, ſapientiam nil aliud eſſe, niſi eloquentiæ cum ſcientia nexum quendam in intellectu, per quem homo de omnibus, quæ in mundo ſunt, loqui ſua ſponte valet, & ob id addebant quidam alij Philoſophi, hominem, vt perfectus dici poſsit, ore loqui docto, & virtutem oſtendere facto oportere, Idq; ſi verè cuipiam contigerit, de ipſo dici poterit, homo homini Deus, cum his mediãtibus

tantam cæteris afferat vtilitatem, vt in Deorum numerũ quaſi referri videatur; vnde non ab re de alio Mercurio, qui, ob eximiam eloquentiam, Deorum nuncius dictus eſt, & eloquẽtiæ Deus, Lyricus Poeta ſic perbellè cecinit.

Mercuri facunde, nepos Athlantis,
Qui feros cultus hominum, Deûmq;
Voce formaſti, catus, & decoræ
More paleſtræ. —

Fabulatur, inquam, Poeta iſte, Mercurium eſſe Athlantis nepotem, prætercætera; quia, velut Athlas fingitur humeris cælum ſubſtinere, quia omnium cælorum curſum optimè nouit, & primus Aſtronomiæ inuentor fuit, quam ſcientiam deinde poſt multa ſecula perfectiorem reddidit Architas Syracuſanus (vt refert Diodorus Siculus) ita optimus orator eximia eloquentia mundum ſubſtinere videtur; ad ſublimes enim honores, & dignitates homines vehit oratoria ars, quòd præ cæteris (vt ſilentio præteream AEſchinen, nonnulloſq; Græcos, qui hanc artem maximè calluerunt, & nonnullos militum Duces, qui hac facunda Arte ad præclara totum exercitum ita inflammarũt,

ut ingenti gloria arduam victoriam aſſecuti ſint) legimus de Arpinate illo Cic. qui ſua tãtum eloquentia Summis Rom. Reip. honoribus honeſtari ab illo ampliſsimo Senatu meruit.

V. His politioribus literis te delectari, ſummopere gratulor, his enim homo maximè eget, vt a mortalibus ad diuina eleuetur:

Logicæ, Rhetoricæ, & Poeticæ, quæ inſtrumentariæ artes ſunt, Addimus etiam Grammaticam, hac enim homo congruè loquitur, & congruè ſcribit:

Et per hanc Grammaticam, quæ verſatur circa Orationem, homo tum eleuatur ad Rhetoricam, ad Poeticam, & ad Logicam, quæ tres formoſiſsimæ Puellæ verſantur circa rationem, & orationem;

Vnde non ab re prorſus quidam aſſeruerunt, Rhetoricam, & Poeticam eſſe Logicæ partes:

Rhetorica duplex eſt, altera naturalis, artificialis altera, cuius munus eſt tradere præcepta, quibus Orator condere poſſit ornatam orationem ad perſuadendum.

Orationis autem tria ſunt genera (vt et tu optimè noſti) demonſtratiuum, iudiciale, deliberatiuum.

Et orationis partes quatuor præcipuè ſunt, Exordium in honeſtis, & inſinuatio in dubijs, Narratio, Confirmatio, & Confutatio, quarta Peroratio.

Ad quas Orationes perbellè habendas orator duobus vtitur inſtrumentis, exemplo nempe & enthymemate, quod truncatus ſyllogiſmus vocatur.

De Poetica. Cap. X.

AT quid tibi videtur de ijs, qui Rhetoricam, & Poeticam damnarunt? quas duas diſciplinas non ſolùm Reipublicæ inutiles, verùm & pernicioſas eſſe aiebant illi, rationemq; afferebant, dicentes, quòd hæ artes nimis hominum animos demulcent, & virtutis neruos elidunt, idq; magis poeſin præſtare aſſerunt, quia magis ad vitia ſuo cantu homines allicit.

V. Hæ duæ inſtrumentariæ facultates sũt, velut & bona corporis, bona fortunæ, ac (vna excepta virtute) reliqua animi bona, quæ omnia ijs bona ſunt, qui bene vtuntur, mala au-

tem eis ſunt, qui malè vtuntur; at huiuſmodi detractores non animaduerterunt honores, & commoda, quæ hominibus poetica afferre ſolet, nec illis compertum fuit, his diſciplinis homines non naturali, ſed diuino modo ornari, vt inter alios perbellè Ouid. de Faſt. his Carminibus teſtatur:

Eſt Deus in nobis, agitante caleſcimus illo,
Impetus hic ſacræ ſemina mentis habet.

Et alibi ſic de Poetis:

Eſt Deus in illis, quo agitante caleſcant;
Sedibus æthereis ſpiritus ille venit.

Vnde Poeſis a plerisq; virtutis palulum vocata fuit, ac inſtrumentum Philoſophiæ Actiuæ: Quod conſiderans IuliusCæſar, primus Romani Imperij fundator, tanti faciebat Poeticen, vt ſummæ laudi ſibi aſcripſerit in poetarum collegio haberi; & Scipio Affricanus ob id Ennium Poetam adeo diligebat, vt comitem ſemper habere voluerit, eiuſq; ſtatua ſuum ſepulchrum ornari mandauerit. ſed quid dicerent hi detractores de Lyſandro Lacedæmoniorum Imperatore? qui, dum Athenas obſideret, vt primum a quibuſdam ſibi rela-

tum fuit, Sophoclem Poetam obiiſſe, eiuſq; corpus illucuſq; inhumatum eſſe; inducias dedit, vt Poetæ Magno congruæ fierent exequiæ; Nec iniuria quidem; nam Poetæ ad Mores optimos alliciunt homines, & ad ſacrorũ Cultum ipſos reuocant. Et quia difficile eſt vt plurimum incredulis, ac rudibus hominibus perſuadere; optimus Poeta liberali poeticarum fictionum oblectamento, ſuauiter, ac vtiliter decipiendo, incultos homines inſtruit, non ſecus ac ſapiens Medicus, qui amaram potionem aureo vaſe, dulciq; ad labrum illito liquore, tacenti; & infauſto ægroto proponere ſolet; Et ob id de Orpheo (quem dicũt nonnulli ſcriptores Citharam, & Carmen adinueniſſe) fabulantur, quòd ſuo ad ſonum Lyræ dulci cantu bruta, lapides, ſyluas, ac montes ad ſe traheret, quia ex ferina ad politicam vitam poeticarum figmentis homines rapiebat. Quibus poeticis velaminibus, non ſolùm Mundi Sapientes, verùm & DEI Benedicti amici vſi ſunt, Sibillæ enim Vnigeniti Glorioſiſſimi Filij DEI aduentum, vitam, ac mortem cantionibus canebant; Sapientiſſimus etiam

Salo-

Salomon (vt teſtantur Joſephus, & D. Hieronymus) Carminibus exametris, & pentametris conſcripſit Parabolarum lib. Eccleſiaſten, & Canticam, Dauid etiam Rex, Iſaias, ac nonnulli alij Prophetæ carminibus, ac fabulis ſacra canebant. Ad quid igitur Poetæ ex Ciuitatibus eijciendi ſunt, cum peplum virtutis, ac philoſophiæ actiuæ inſtrumenta, omnium Sapientum conſenſu, ſint?

V. *Hanc opinionem contra poetas nec ipſe vnquam recepi, imò, ac tu aſſeris, Poeticam, ac Rhetoricã virtutis pabulum eſſe sẽper duxi; Et Poeticen virtutis actiuæ inſtrumentum eſſe, nunquam dubitaui:*

Poetæ enim iuuant, & delectant; ſed optimo poetæ magis vt iuuet, quàm vt delectet, ſtudendum eſt.

De Scientiis. Cap. XI.

V. *NDE ſtatuendum eſt, Rhetoricam, & Poeticam plurimum conferre omnibus ſcientijs, quas quidem ſcientias (quibus homo, vt pennis Auis, eleuatur) in duas præcipuas*

partes diuidere ſoleo, in contemplatrices videlicet, quarum finis eſt veritas, & in actuoſas, quarum finis eſt honeſta actio.

Speculatiuæ autem duas partes præcipuas eſſe cenſeo; altera ſapientia dicitur, quia Deum, Intelligentias, ac prima rerum principia conſiderat, huiuſmodi Metaphyſica eſt.

Altera ſpeculatiuæ Philoſophiæ ſcientia dicitur, quam in duas partes diuido, in Mathematicam nempè, quæ, abſtrahendo a materia ſenſibili, rerum figuras, & quantitates conſiderat;

Et in naturalem philoſophiam, cuius ſubiectum eſt corpus Phyſicum, vt phyſicum.

Cuius Acromaticæ philoſophiæ quatuor ſunt gradus, In primo nobis proponuntur 8. Phyſ. lib. in quibus agitur ab Ariſt. de communibus corporis phyſici principijs de communibus cauſis, ac de communibus eiuſdem corporis paſſionibus.

Secundo ſequuntur lib. de Cælo, & Mundo, in quibus conſideratur hoc totum vniuerſum quatenus compactum eſt ex his quinq; ſimplicibus corporibus.

Tertio ſuccedunt libri de Ortu, & interitu, in quibus agitur de corpore generabili, & corruptibili, prout generabile, & corruptibile eſt.

Quarto & vltimo loco ponuntur lib. de anima, quorum ſubiectum eſt anima, prout eſt forma corporis phyſici animati.

De Actiuis Scientiis. Cap. XII.

N.

O Infelicem hominem: quæ in ſtatu innocentiæ ex tua natura iam abſq; labore optimè noueras, nunc aſsiduo ſtudio ſummoq; labore venari cogeris; Homo enim, quem dixiſti ex anima, & corpore conſtare, in perfecto vitæ ſtatu a DEO Optimo Maximo fuit creatus, & ad vberiorem ſui felicitatem ab eodem ſummo rerum omnium Opifice duabus præcipuè animæ partibus, intellectu nempe, & voluntate, fuit munitus; intellectu omnia intelligebat, voluntate, quæ intellectui bona videbantur, & volebat, & aſſequebatur, tum verò vt peccati pœnam lueret, in immenſas intellectus voluntatis, & corporis ærumnas in-

cidit; Intellectus in ignorantiam, quæ rerum omnium (vt heri aſſeruiſti) cauſa, & radix eſt; & voluntas in malitiam, ac demum corpus in plures, & grauis ægritudines: Quapropter nunc homini ſtudendum eſt, vt intellectui ſpeculatiuis ſciẽtijs proprio labore partis auxiliũ præbeat; voluntati morali philoſophia ſuccurrat, ac deniq; corporis morbos medica arte pro fligare tentet. Cum igitur hucuſq; Speculatiuis, Logicis, Rhetoricis, ac Poeticis rebus tanta & vtilitate, ac voluptate ſimus collocuti; de actiuis nunc aliqua, & breuiter (vergit enim Sol ad occaſum) dicamus obſecro: De corporis autem medelis agi ſinamus a Medicis, a quibus nos Deus eripiat.

V. *Homo nexus, Microcoſmus a priſcis ſapientibus dictus fuit, eo quod omnia, quæ in cæteris vniuerſi partibus diſperſa ſunt, ſolus continet, ideſt elementa, mixta, plantas, animalia, & modo quodam etiam intelligentias, in matris vtero ex elementis verè compactus, & commixtus plantæ vitam vegetando viuit; ex quo deinde egreſſus, cum per plures annos ſuperflua illa humiditas aliquo modo exiccata fuerit,*

fuerit; calor innatus ſuas magis patefacere vires incipit, tum animalium vita viuere magis videtur, quæ ætate tunc deſideria, perturbationeſq; quamplurimæ, atq; affectus hominis mentem exagitant.

Quæ perturbationes, atq; affectus ſunt commotiones ſentientis animæ facultatis factæ ab obiecto noxio, ſiue vtili, vt, quod proſit, homo ſequatur, & quod noceat fugiat, ad quos quidem coercendos affectus virtutum moralium habitus homini plurimum conferunt, per hos enim vitia odit, ac vitat.

Sed quia imperitus eſt Medicus ille, qui eorum corporum curam ſumere audet, quorum ignorat naturam; virtutem moralem poſt contemplatiuam addiſcendam eſſe puto; cognitio enim veri eſt dux prudentiæ, & humanarum actionum.

Quæ moralis virtus, non eſt euulſio perturbationum, ſed ad mediocritatem reductio;

Ad quam perbellè aſſequendam, natura, inſpectrix philoſophia, & aſſuetudo concurrunt,

Bona etiam fortunæ ad hanc acquirendam maximè conferunt.

Quæ morales virtutes multæ ſunt, & inter ſe ſe valde connexæ, diſtinguuntur tamen inuicem ſpecie.

Inter quas iuſtitia primum ſibi vendicat locũ,

Quæ iuſtitia eſt habitus, quo volumus, poſſumus, & agimus iuſta.

Secundo ſequitur fortitudo,

Quæ eſt moderatio formidinis, & confidentiæ erga ea terribilia, quæ ad ſalutem corporis pertinent, appetitui iraſcendi competens, vt inde honeſtæ prodeant actiones.

Tertium locum occupat temperantia, quæ eſt fundamentum virtutum, & cum difficultate acquiritur.

Quarto accedit Liberalitas, & Magnificentia, quæ Charitatis affines ſunt.

Liberalitas eſt mediocritas, rectè componere appetitum cupiendi in eroganda, ac recipienda mediocri pecunia, vt in his aſſequatur honeſtum.

Magnificentia eſt mediocritas, in magnis ſumptibus, ac pecunijs recipiendis occupata, appetitui cupienti competens, vt in eis aſſequatur, quod decet.

Quintò ſequitur Manſuetudo, ſimillima paci, & tranquillitati, quæ eſt mediocritas, rectè componens appetitum iraſcendi, vt in attinẽtibus ad iram conſtãter præligat, quod decet.

N. *Viri autem manſueti, cum ipſam manſuetudinis, & clementiæ virtutem maximè ament, primum locum huic virtuti tribuerent; Milites autem fortitudinem, iuſtitiæ præferrent; liberales verò nulli cederent, ipſe verò tuæ ſententiæ aſcribo.*

Ex his virtutibus, nempe ex ſpeculatiua, (quã iure, & merito aſſeris, hominem ante moralia addiſcere debere, quia, vt teſtantur Simpl. Alex., & Auerr., a cõtemplatione veri proficiſcuntur virtutes morales, bonæ enim leges, & optimæ inſtitutiones ex naturæ fontibus ortum ducunt; idq; ipſum videtur indicaſſe ſapiens ille, dum aiebat Noſce teipſum, vir enim probus eſt, qui ſibi imperat, idq; facere nequit, niſi ſui animi vires, & facultates agnoſcat) & ex actiua philoſophia ingentes homo ſibi honores, & dignitates parat; quæ omnia virtutis præmium eſſe, nemo inficiatur, quod præmium tantùm his probis viris deberi, per-

belle innuit nobis M. Marcellus, qui, cum ex Manubijs Siracuſana præda Honori templum vouiſſet, mandauit, vt nemo in Honoris templum ingredi poſſet, niſi per Virtutis ædem migraretur. Hoc honore, Vincenti mi amiciſsime, ego te ſemper proſequar, & præcipuè qui ex multis tuis in me collatis beneficijs non parum me tibi debere agnoſcam; his enim tribus canicularibus diebus, graue non duxiſti, prætermiſsis tuis curis, de rebus & ad Metaphyſicum, & ad Naturalem, & ad Moralem philoſophum attinentibus, vt a maximo dolore me leuares, humaniter mecum diſſerere; cuius rei memoriam nulla vnquam delebit obliuio. Viuas felix, Deumq; obſecro, vt propitius tibi ſit. Vale.

V. *Non ab re M. Marcellus in Honoris templum ingredi neminem volebat, niſi per Virtutis portas tranſiret; quia improbi, & ignari honorem non merentur.*

Vnde nec probos viros honorare valent, vulgata enim eſt ſententia illa, Neminem dare, quod non habeat,

Nec ab alijs auferri, nec reſtitui poteſt honor iſte viro probo, *Quem*

Quem honorem & ipſe cenſeo eſſe virtutis præmium, & ſignum,

Habet enim hic honor cum nobilitate maximam affinitatem; qui enim honore dignus eſt, & nobilitate cenſeri debet.

Te verò me ſemper honore afficere velle, gratulor, non quia id mihi pro meritis conuenire agnoſcam (quo vtinam dignus eſſem, ad id tamen meas omnes actiones, & cogitationes ſemper pro viribus dirigere ſtudebo, velut ac tu ſemper egiſti, & agis) ſed quia, dum in me honorem infers, teipſum magis, ac magis honoras, honor enim eſt magis honorantis, quàm honorati. Ego autem te ſemper amabo, & colam.

Sed vt huius noſtri colloquij finis reſpondeat aliquo pacto eiuſdem initio; ad Independentem DEVM, non Peripateticè, ſed Catholicè reuertamur, eundem cum D. Ambroſio, ac D. Auguſtino laudemus, eiq; confiteamur, & cum illis Pueris in ardenti fornace illæſis dicamus, Gloria in excelſis Deo; De quo etiam Moiſes cecinit, poſtquam legem dedit, ac eiuſdem Legiſlatoris ſoror Maria,

quum ex Mari Rubro, (quo AEgiptij ſummerſi fuerunt) exiuit; Necnon etiam inter alios & Anna cecinit ob mirabilem partum Samuel: Nos igitur quoq;, ne a tantorum virorum exemplo diſcedamus; gloriam demus potentia Patris, ſapientia Filij, & bonitati Sancti Spiritus;

Et Mundi ſapientibus, & prudentibus, de DEO trino, & vno loquentibus minimè reſpondeamus; qui enim ſtulto reſponſum tradit, & ipſe ſtultus videtur, vt ſapiens Salomon teſtatur. Gratias igitur Indiuiduæ agamus Trinitati.

Vale, ac tu, meq;, vt ſoles, ama.

FINIS.

INDEX CAPITVM EORVM QVÆ AD DISCEPTANDUM PROPOSITA SUNT.

De Independenti	cap. 1	pag. 9.
De Intelligentijs	cap. 2	pag. 14.
De Cœlo	cap. 3	pag. 17.
De Elementis	cap. 4	pag. 23.
De Mixtis Imperfectis	cap. 5	pag. 36.
De Mixtis Perfectis	cap. 6	pag. 40.
De Animali	cap. 7	pag. 47.
De Logica	cap. 8	pag. 62.
De Rhetorica	cap. 9	pag. 66.
De Poetica	cap. 10	pag. 70.
De Scientijs Contemplatiuis	cap. 11	pag. 73.
De Scientia Actiua	cap. 12	pag. 75.

Diſputabuntur publicè SENIS, in AEdibus Excelſ. Dominorum Anno 1594. Menſe

Die Hora

Fr. Zaccharias Vrceolus de Rauenna Inquiſitor generalis concedit vt imprimantur.

Inprimantur. Fauſtus Melarius Vicarius Sen.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE